

C. Julii Caesaris de bello Gallico et de bello civili commentarios inter Romana rerum gestarum monumenta maximis virtutibus excellere, omnium, qui de ea re judicare poterant, autoritate confirmatum est. Atque orationi ejus et scribendi generi a Cicerone laudem scimus tributam esse singularem. Nudi enim, inquit ille (Brut. cap. 75), sunt commentarii, recti et venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta. Nihil est enim in historia pura et illustri brevitate dulcius. Omnem verborum copiam, quae sit vel voluptatis augendae vel admirationis injiciendae, sedulo fugiens nihil aliud quaerit nisi ut quid gestum sit appareat: eoque nudi vocantur commentarii, rerum integra forma ante oculos posita. Rectos autem appellari puto propterea, quod Caesar verbis utitur usitatis ac proprie demonstrantibus ea, quae significari ac declarari voluit. Idem et in collocandis verbis et comprehensione devinciendis nihil non ratione instituit. Ac si quando liberius in hoc genere versatus esse videtur, nihil tamen dissoluti et impediti, sed jucunditatem potius illam in affectatam agnoscas, quam nulla possit affectatio consequi. Recte autem loquendo orationi magnam affert suavitatem animosque legentium voluptate afficit, quum eandem, quam ipse scriptor proposuit, rerum imaginem facile mente concipiunt neque desiderant quidquam, quo res illustrentur, neque offendunt, quo obscurentur et confundantur. Haec est pura et illustris brevitatis, qua nihil Cicero dulcius in historia esse dicit. Non minore laude Caesaris de bello Gallico commentarii efferuntur ab Hirtio, qui in praefatione libri octavi probatos dicit omnium judicio; „cujus tamen rei, inquit, major nostra, quam reliquorum est admiratio: ceteri enim quam bene et emendate, nos etiam, quam facile et celeriter eos perfecere scimus. Erat in Caesare quum facultas atque elegantia summa scribendi, tum verissima

scientia suorum consiliorum explicandorum.“ Quintilianus autem (X, 1) dicit, Caesar si foro tantum vacasset, futurum fuisse, ut non alius ex Romanis contra Ciceronem nominaretur. „Tanta in eo vis inest, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen haec mira, cujus proprie studiosus fuit, elegantia.“ Tacitus denique Caesarem summum auctorem appellat (German. 28). Hanc tantam ut assequeretur bene loquendi laudem non summo solum studio ac doctrina ¹⁾, sed eximia quoque natura atque ingenio adjuvabatur. Nam ille qua erat mentis sagacitate omnium et hominum et rerum naturam rectissime perspexerat. Deinde res a se scriptas, id quod plurimum ad auctoritatem ejus valere debet, non audivit, sed vidit, non tantum interfuit iis sed praefuit, ut ab excelso quasi, quem tenebat, loco qua ratione inter se res continerentur, quae causae, qui eventus essent, quae in luce collocanda, quae adumbranda, facillime prospicere posset et dijudicare. Hac re dicendi perspicuitatem magnopere adjuvari nemo est quin videat. Atque quum Caesar in rebus pace belloque gerendis diu multumque esset versatus, fieri non potuit, quin omnes res humanas ea, quae multarum rerum usu comparatur, animi tranquillitate tractaret, ut saepe, quae aliis gravia viderentur et singularia, levia esse putaret et quotidiana. Hoc natura ei insitum ac multis rebus gestis quasi excultum imperandi, non serviendi rebus studium etiam in scriptis ejus agnoscitur effecitque sedatum dicendi genus et simplex. Ut rempublicam, ita orationem moderatur ratione et consilio. Verum et haec ipsa moderatio dicendi et cogitationum perspicuitas causa fuisse videtur, cur Caesar summis omnium aetatum scriptoribus sit comparatus.

Fides autem et veritas Commentariorum non aequè omnibus fuit probata. Ea de re unius veterum scriptorum iudicium habemus Asinii Pollionis, qui Suetonio teste (Jul. 56) Commentarios parum diligenter parumque integra veritate compositos putat, cum Caesar pleraque et quae per alios erant gesta, et quae per se vel consulto vel etiam memoria lapsus perperam ediderit, existimatque rescripturum et correcturum fuisse. Quod iudicium Chr. Schneiderus, quo viro nemo subtilius de Caesaris ingenio et scriptis disseruit, quamvis et secum ipsum et maximam partem cum ingenio et moribus Caesaris pugnans, nihilominus magnam auctoritatem habere dicit, cum jam tum et inter Caesaris amicos aliquem fuisse doceat, qui veram rerum gestarum rationem ex ejus Commentariis cognosci non posse sentiret: cujus tamen rei causam illum aut minus perspectam habuisse, aut perspectam occultaturum credulitatem et memoriae vitium accusasse et illud de rescripturo et correcturo ad placandam invidiam addidisse videri. Jam huic viro clarissimo „de Commentariorum fide et veritate ex moribus et ingenio scriptoris et secundum scriptoris indolem sic statuendum videtur, ut origines et instituta populorum, situs locorum et ejus generis reliqua diligenter et vere tradita habeamus, cum pleraque eorum, quae ipse viderat, tam

1) Cic. Brut. 72. ut esset perfecta illa bene loquendi laus multis litteris et iis quidem reconditis, summoque studio et diligentia est assecutus.

accurate tantaque perspicuitate exposita sint, ut fidelem visorum repraesentationem facile agnoscas, ea vero, quae percontationibus accepta refert, cum ipsius acumine ingenii, tum Taciti iudicio, qui eum his in rebus summum auctorem appellat, satis probata haberi debeant. Nec minori cum fide ac diligentia in suis consiliis explicandis, item in tradendis rerum gestarum atque eventuum summis, quae nec facile poterant adulterari neque ut adulterarentur, opus habebant, versatus videtur. Sed de causis bellorum, quae omnia pariter justa ac necessaria sibi fuisse demonstrat, de legatorum legionumque mirifica saepe virtute, de sua suorumque cum victis agendi ratione moderata illa atque humanitatis plena, denique de omnibus, quae ad famam opinionemque hominum tenendam pertinerent, incertum est, qua fide scripserit.²⁾ Contra E. Bresemer in commentatione sermone Germanico scripta editaque a. 1835 Berol. commentariorum fidem tribus locis, quibus alii viri docti Caesari derogandam statuerant, tueri studuit. Qui quamvis docte ac magna probabilitatis specie de ea re disputaverit, tamen ego accuratius re perpensa, ut sententiam ejus amplecterer, impetrare a me non potui. C. Kruegermann³⁾ Caesarem quum alia consulto perperam edidisse, tum in iis, quae de causis belli cum Ariovisto gerendi exposuit, secum ipsum pugnare acutissime vidit probavitque Caesarem de delicto in barbaris commisso vel laesa veritate civibus suis satisfacere voluisse. Ac mihi quoque et ante actam scriptoris vitam et necessitatem rerum urbanarum ac publicarum respicienti cogitantique ejus commentarios de bello Gallico brevi ante exortum bellum civile esse editos⁴⁾, recte Schneiderus, vir clarissimus, statuere videtur, Caesarem eos existimationis suae tuendae populoque commendandae causa scripsisse. Hoc autem consilio fidem commentariorum dubiam reddi atque suspectam, non est quod pluribus verbis confirmetur. Accedit quod ipsi veteres scriptores, imprimis Plutarchus, Dio Cassius, Appianus nonnullis de rebus, quae in commentariis referuntur, a Caesare dissentiunt, quorum auctoritates cum illo supra memorato Pollionis iudicio collatae non possunt non de fide Caesaris movere dubitationem. Hac de re etsi jam ab aliis disputatum esse videbam subtiliter, tamen, quum solemniori more hoc tempore mihi scribendum esset aliquid, faciendum statui, ut eorum sententiis meam qualem-cunque opinionem adjungerem eamque vel novis, vel, si possem, majoribus firmarem argumentis.

Apud Helvetios Orgetorix, homo nobilissimus et ditissimus, conjuratione nobilitatis facta civitati persuaserat, ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent: perfacile esse, quum virtute omnibus praestarent, totius Galliae imperio potiri. Accedebat quod Helvetii illi bellandi cupidissimi pro multitudine hominum et pro gloria belli atque fortitudinis angustos se fines habere arbitrabantur. His rebus adducti constituerunt ea, quae ad proficiscendum pertinerent, parare. Biennio exacto ubi jam se ad eam rem paratos esse existimant, diem dicunt, qua ad ripam Rhodani omnes conveniant. Erat enim iis in animo, per provinciam

2) praefat. ad Caes. de b. G. p. XXXIII sq. — 3) Bemerkungen über die Glaubwürdigkeit Caesars vom gal-lischen Kriege. Programm. Hirschberg 1842.

4) cf. Schneider in Philomathiae vol. I. p. 180 sqq.

Romanorum, qua multo facilius quam per Sequanos in Galliam iter patebat, domo exire. Qua re cognita Caesar Roma profectus quam maximis itineribus potest in Galliam ulteriorem contendit et ad Genevam, unde pons ad Helvetios pertinebat, pervenit. Ubi de ejus adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt, qui dicerent, velle sese sine ullo maleficio per provinciam iter facere, propterea quod aliud iter haberent nullum: rogare ut ejus voluntate id sibi facere liceret. Caesar quum memoria teneret L. Cassium consulem occisum, exercitumque ejus ab Helvetiis pulsum et sub jugum missum, concedendum non ratus ac veritus, ne Helvetii, data facultate per provinciam iter faciendi, ab injuriis non abstinerent, tamen ut spatium haberet, dum milites, quos ante conscripserat, convenirent, legatis respondit, diem se ad deliberandum sumturum; si quid vellent, a. d. Id. April. reverterentur. Intera loco, quo transire possent Helvetii, munito et praesidiis firmato, quum legati statuta die ad eum rediissent, negat, se more et exemplo populi Romani posse iter ulli per provinciam dare; et si vim facere conentur, prohibiturum ostendit. Helvetii Rhodani transitu frustra tentato per Dumnorigem Aeduum a Sequanis impetrant, ut per suos fines eos ire patiantur. Caesari quum nuntiatum esset, Helvetios per agros Sequanorum et Aeduorum in Santonum fines provinciae proximos iter facere, veritus ne id cum summo provinciae periculo fieret, ei munitioni, quam fecerat, T. Labienum praefecit: ipse quinque legionibus ex Italia coactis in Segusianos, qui sunt extra provinciam trans Rhodanum primi, ire contendit. Huc Aedui, quorum tum agros Helvetii populabantur, legatos ad Caesarem auxilii petendi causa mittunt: idem faciunt Allobroges. Ille ubi per exploratores certior factus est, tres jam copiarum partes Helvetios Ararim flumen transduxisse, quartam vero partem citra id flumen reliquam esse, cum tribus legionibus ad eam partem pervenit, quae nondum flumen transierat. Eos impeditos et inopinantes aggressus magnam eorum partem concidit: reliqui fugae sese mandarunt atque in proximas silvas abdiderunt. Is pagus appellabatur Tigurinus, qui unus patrum memoria L. Cassium consulem interfecerat et ejus exercitum sub jugum miserat.

Sic a Caesare Helvetiorum res exponuntur lib. I. cap. 2—12. Cujus verbis si fides habetur, non possumus quin justissimam belli cum Helvetiis gerendi causam fuisse fateamur. Nam et dignitas et salus reipublicae Romanae eum hortabantur, quare sibi et prohibendos Helvetios a provinciae finibus neque Aeduorum injurias negligendas putaret. At Aeduorum cum Romanis necessitudinis causam haud magni momenti fuisse vel ex eo conjicias, quod Ariovistus, Suevorum rex, se tam imperitum rerum esse negat, ut nesciat, neque bello Allobrogum proximo Aeduos Romanis auxilium tulisse neque ipsos in his contentionibus, quas Aedui secum et cum Sequanis habuissent, auxilio populi Romani usos esse (Caesar de b. G. I, 44). Deinde quod Caesar (I, 8) negasse se dicit, se more et exemplo populi Romani posse iter ulli per provinciam dare, id teste Dione perperam edidisse videtur. Is enim auctor est, Caesarem die ad deliberandum petito vel spem Helvetiis ostendisse, fore ut eos per provinciam ire pateretur. Barbaros aliquamdiu expectasse; tum vero responso die statuta non lato profectos esse primum ad Allobrogum fines; inde munimentis illatos ad Sequanos

contendisse.⁵⁾ Ita si res sese habet, tantum abest, ut necessaria atque justa belli cum Helvetiis gerendi causa Caesar usus sit, ut dedita opera eos ad bellum laccessivisse videatur. Denique Tigurinos a Labieno legato, non a Caesare fusos fugatosque esse, Plutarchus (vita Caes. 18) et Ap-
pianus (IV, 3; IV, 15), id quod jam Kruegermannus monuit, consentiunt. —

Bello Helvetiorum confecto totius fere Galliae principes ad Caesarem venerunt oratum, ut sibi secreto de suo omniumque salute cum eo agere liceret. Ea re impetrata Divitiacus Aeduus pro his locutus est. Quum Aedui et Arverni de principatu in Gallia inter se multos annos contenderent, factum esse, ut ab Arvernibus Sequanisque Germani mercede arcesserentur. Horum primo circiter XV millia Rhenum transiisse; tum propter agrorum ubertatem et copias Gallorum pluribus traductis jam ad C et XX millium numerum in Gallia esse. Cum his Aeduos eorumque clientes semel atque iterum armis contendisse; omnem nobilitatem, omnem senatum, omnem equitatum amisisse atque coactos esse Sequanis obsides dare, nobilissimos civitatis. Sed pejus victoribus Sequanis quam Aeduis victis accidisse: propterea quod Ariovistus in eorum finibus consedisset tertiamque partem agri Sequani occupavisset et nunc de altera parte tertia Sequanos decedere juberet, ubi Harudibus locus ac sedes pararentur. Ariovistum autem Gallorum copiis ad Magetobriam victis superbe et crudeliter imperare, obsides nobilissimi cujusque liberos poscere et in eos omnia exempla cruciatusque edere, si qua res non ad nutum aut ad voluntatem ejus facta sit: non posse hominis barbari, iracundi, temerarii imperia diutius sustineri. Nisi quid in Caesare sit auxilii, nihil sibi reliquum esse quam ut patria relicta alias sedes remotas a Gallis petant. Haec si enuntiata Ariovisto sint, non dubitare, quin de omnibus obsidibus, qui apud eum sint, gravissimum supplicium sumat. Sequanorum hoc esse miseriorem gravioremque fortunam prae reliquorum, quod soli, nulla fugae facultate data, ne in occulto quidem queri nec auxilium implorare auderent absentisque Ariovisti crudelitatem, veluti coram adesset, horrerent. His rebus cognitis Caesar Gallorum animos verbis confirmavit pollicitusque est, sibi eam rem curae futuram: magnam se habere spem, et beneficio suo et auctoritate adductum Ariovistum finem injuriis facturum. Concilio dimisso Caesar tribus de causis eam rem cogitandam et suscipiendam statuit: in primis quod Aeduos, fratres consanguineosque saepe ab Senatu appellatos, in servitute atque in ditione Germanorum teneri turpissimum sibi et reipublicae esse arbitrabatur. Deinde Germanos consuescere Rhenum transire et in Galliam venire populo Romano periculosum videbat. Accessit quod ipse Ariovistus tantam arrogantiam sumserat, ut ferendus non videretur. Quam ob rem Caesar legatos ad Ariovistum misit, qui poscerent ab eo, uti aliquem locum colloquio diceret: velle

5) 38, 31 sq. καὶ ὅς [ὁ Καῖσαρ] —, ὅτι γε οὐδὲ πῶ καλῶς παρεσκεύαστο, βουλευόμεθαί τε ὑπὲρ ὧν ἤξιον μετὰ τῶν ὑποστρατήγων ἔφη, καὶ τὴν ἀπόκρισιν ἐν ἧτις τινὲς ἡμέρας δώσειν. καὶ τι καὶ ἐλπίδος, ὡς καὶ ἐπιτρέψων σφίσι τὴν διόδον, ὑπετίνατο. — Οἱ οὖν βάρβαροι χρόνον μὲν τινα ἐπέσχον, ἔπειτ' ἐπειδὴ μηδὲν ἤκουσαν κατὰ τὸ συγκείμενον, ἄραγτες — ἐπορεύοντο κ. τ. λ.

sese de summis utriusque rebus cum eo agere. Ei legationi Ariovistus respondit: Si quid ille se velit, eum ad se venire oportere; sibi autem mirum videri, quid in sua Gallia, quam bello vicisset, aut Caesari aut omnino populo Romano negotii esset. Tum Caesar iterum legatis ad eum missis postulat primum, ne quam multitudinem hominum amplius trans Rhenum in Galliam transduceret; deinde obsides, quos haberet ab Aeduīs, redderet, Sequanisque permetteret, ut quos illi haberent, voluntate ejus reddere illis liceret; neve Aeduos injuria lacesseret; si non impetraret, sese Aeduorum injurias non neglecturum. Ad haec Ariovistus respondit: non oportere sese a populo Romano in suo jure impediri: Aeduos sibi belli fortuna tentata stipendiarios esse factos: obsides iis se non redditurum esse: neque iis neque eorum sociis injuria bellum illaturum, si in eo manerent quod convenisset; si id non fecissent, longe his fratrum nomen populi Romani afuturum.

Eodem tempore Caesar quum cognovisset, Aeduorum fines ab Harudibus devastari et pagos centum Suevorum ad ripas Rheni consedisisse, qui Rhenum transire conarentur, maturandum statuit priusquam nova manus cum veteribus copiis Ariovisti se conjungeret. Quum tridui viam processisset, certior factus est, Ariovistum cum suis omnibus copiis ad occupandum Vesontionem, quod est maximum Sequanorum oppidum, contendere. Id ne accideret nec noctu nec interdiu intermisso itinere Caesar oppido potitur, in quo omnium rerum, quae ad bellum usui sunt, summa erat facultas, magnumque ibi praesidium collocaat. Dum haec geruntur ex percontatione Romanorum vocibusque Gallorum et mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque exercitatione in armis esse praedicabant, tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium animi perturbarentur. Nonnulli etiam Caesari renuntiabant, quum castra moveri ac signa ferri jussisset, non dicto fore audientes milites nec propter timorem signa laturos. Concilio convocato quum Caesar omnes centuriones propter timorem vehementer increpisset suamque et innocentiam et fortunam in rebus gerendis praedicasset et, si praeterea nemo sequeretur, tamen se cum sola decima legione iturum, de qua non dubitaret, minatus esset, mirum in modum conversae sunt omnium mentes summaque alacritas et cupiditas bellandi innata est. Tum septem dierum iter progressus ab exploratoribus cognovit, Ariovisti copias a Romanis millibus passuum quatuor et viginti abesse. Cognito Caesaris adventu Ariovistus legatos de colloquio misit, quod ille, quum jam controversiam componi posse confideret, non respuendum arbitrabatur. Itaque suis Senatusque in Ariovistum beneficiis commemoratis et Aeduorum amicitia interposita Caesar eadem, quae legatis in mandatis dederat, postulavit. Ariovistus autem non sua sponte, sed rogatum a Gallis Rhenum se transisse dixit; sedes habere in Gallia ab ipsis concessas, obsides ipsorum voluntate datos, stipendium capere jure belli: non sese Gallis, sed Gallos sibi bellum intulisse ac proelio fusos superatosque esse. Se prius in Galliam venisse quam populum Romanum. Quid sibi vellet? cur in suas possessiones veniret? Debere se suspicari, simulata Caesarem amicitia, quod exercitum in Gallia habeat, sui opprimendi causa habere. Qui nisi decedat atque exercitum deducat, sese illum non pro amico sed pro hoste habiturum. Dum haec in colloquio geruntur, Caesari nun-

tiatur, equites Ariovisti lapides telaque in Romanos conjicere. Caesar finem loquendi facit suisque imperat, ne hostium injurias redderent. Nam etsi sine ullo periculo suo proelium fore videbat, tamen committendum non putabat, ut pulsus hostibus dici posset, eos ab se per fidem in colloquio circumventos. Posteaquam in vulgus militum elatum est, qua arrogantia Ariovistus usus omni Gallia Romanis interdixisset, impetuque in Romanos facto ut colloquium diremisset, multo majus pugnandi studium exercitui Romano injectum est. —

Haec apud Caesarem leguntur (lib. I, 30—46); quae ne cui justo fusius enarrasse videar, res ipsa, quam nunc tractabo, ut quam accuratissima esset oratio mea, postulabat. Nam si ullus in Caesaris commentariis locus, certe is, quo de belli cum Ariovisto gerendi causis agitur, ita est compositus, ut vel maxime praecavendum sit, ne temere Caesaris auctoritatem sequamur. Ac primum quidem vel hoc ipsum in suspicione esse debet, quod causae, cur belli fortunam contra Ariovistum tentandam statuerit, multo pluribus quam assolet verbis exponuntur.⁶⁾ An putas hominem illum pugnandi cupidissimum hoc facturum fuisse, si causam habuisset manifestam neque omnino ei vendum fuisset, ne quid victis hostibus invidiae sibi apud populum Romanum redundaret? Ariovistus jam biennio ante a Senatu rex atque amicus P. R. erat appellatus: munera ei amplissima missa. Quid igitur? illa beneficia quum ipso Caesare auctore in Ariovistum collata esse videantur, nonne per eundem maxime ab omni injuria debebant defendi? At Caesar, qui non minus ab Ariovisto quam ab Aeduis injuriam propulsare deberet, ipse intulit: impedivit illum in suo jure quum postulavit, ne aut Aeduis aut eorum sociis bellum inferret; obsides redderet (I, 37). Nam quod Caesar Q. Fabii Maximi cum Arvernibus et Rutenis belli memoria repetita (I, 46) populi Romani justissimum esse in Gallia imperium dixit, hoc quidem argumento Ariovistus, qui Romanos antea Provinciae fines egressos negaverat, mendacii convinci aut redargui, ut Chr. Schneiderus jam monuit, non videtur. Ista enim Fabii pugna neque totam Galliam subegerat neque extra provinciae fines (teste Strabone I, 4 p. 42 Tz.) commissa erat, ut recte Ariovistus miraretur, quid in sua Gallia, quam bello vicisset, aut Caesari aut omnino populo Romano negotii esset. Quid quod Dione Cassio auctore ipsi Caesaris milites, sese nec justum neque a Senatu decretum bellum propter Caesaris cupiditatem laudis suscepisse, ac nisi negotio desisteret, ab eo defecturos esse pronuntiaverant? His cognitis Caesarem cum vulgo militum nihil collocutum esse (neque enim ausum esse cum vulgo ea de re, quae posset in hostes efferri, colloqui et timuisse, ne milites non dicto essent audientes), sed centurionibus etiam inferiorum ordinum convocatis orationem habuisse (38, 35). De hoc quidem militum animo officiorum erga Senatum populumque Romanum bene memori nihil apud Caesarem, qui sibi renuntiatum a nonnullis narrat, milites propter timorem signa non laturos. Restat ut num tantam

6) Petr. Victorius var. lect. III, 23, „Servat hoc ipse Caesar in commentariis, ut cum aut bellum nulla necessitate illatum, a se ratione coeptum ostendere vult aut improbum aliquid factum aequum esse declarare, multis argumentis in ea re utatur.

sumpserit Ariovistus arrogantiam, ut ferendus non videretur, perquiramus. Jam Kruegermannus demonstravit, Caesarem ea, quae supra legimus, de Ariovisti moribus atque ingenio referentem, ita secum ipsum pugnare, ut fides ejus verbis haberi omnino non possit (l. c. pag. 10 sqq.). Etenim licet haud verisimile sit, id quod nonnulli statuerant (cf. nott. ad Caes. b. G. I, 36), Ariovistum a. U. 682 Rhenum cum Germanis transiisse, hoc certe constat, eum jam diu ante bellum cum Romanis gestum in Galliam venisse (cf. Dio Cass. 38, 34. Appian. IV. 16). Jam vero Dumnorix Aeduis a Sequanis impetraverat, ut per fines suos Helvetios ire paterentur, obsidesque uti inter sese darent perfererat (Caes. b. G. I. 9). Idem per fines Sequanorum Helvetios transduxerat et obsides inter eos dandos curaverat. Haec omnia Sequanos illos, quorum quidem jam tertiam agri partem Ariovistus occupasset, quorum miserior graviorque fortuna prae reliquis esset, non modo injussu Ariovisti, sed etiam insciente ipso facere potuisse? Nam toto bello Helvetico nusquam Ariovisti a Caesare mentio facta est. Accedit quod Sequani Aeduis victis tantum potentia antecesserant, ut magnam partem clientium ab Aeduis ad se transducerent et partem finitimi agri per vim occupatam possiderent Galliaeque totius principatum obtinerent (Caes. VI. 12.). Haec mirum quantum distant a miserrima illa gravissimaque, quam supra Caesar commemoraverat, Sequanorum conditione. Legimus porro apud Caesarem (I, 15; I, 18), equitatum ei bello Helvetico ab Aeduis eorumque sociis esse administratum, promissuum frumentum (I, 16), quod quum quotidie Caesar ab iis postulasset, graviterque, ubi se diutius duci intellexit, accusasset, Liscus, Aednorum princeps, nulla de Ariovisto ejusque imperio mentione facta, ab improbis quibusdam ac rerum novarum cupidis civibus multitudinem deterreri, ne frumentum conferrent, ostendit. Caesar ad Lingones, qui non longe ab Ariovisti finibus aberant, litteras nunciosque misit, ne Helvetios fugientes frumento neve alia re juvarent (I, 26): idque impetravit. Bello Helvetiorum confecto totius fere Galliae legati, principes civitatum, ad Caesarem gratulatum convenerunt (I, 30). Quid quod Caesari ad ipsum Ariovistum contendenti Sequani, Leuci, Lingones (I, 40), Aedui (I, 48) frumentum subministrarunt? Ea omnia, quae modo dixi, crudelem illum, iracundum, superbum Ariovistum, qui obsides eorum ipsorum, qui palam eum hoste suo Caesare faciebant, liberos haberet, neglexisse quis credat? Nec tamen ullum in Caesaris commentariis locum invenies, unde patrum injurias in liberis Ariovistum ultum esse conjicias. Quare quum Caesar in ejus moribus factisque describendis secum ipse adeo pugnet, vix ut ei dicenti fides haberi possit, Kruegermannus l. c. recte videtur suspicari, Caesarem Ariovisti crudelitate Gallorumque calamitate simulata nihil aliud egisse nisi ut belli cum illo gerendi causam justam fuisse probaret ac necessariam. Sic ut statuamus Dionis quoque adducimur auctoritate de postulatis Caesaris dicentis: ταῦτα δὲ ἐπραξεν ὄχι ὅτι καὶ καταπλήξειν αὐτὸν, ἀλλ' ὅτι ἐξοργισθῆναι, καὶ τούτων πρόφασιν τοῦ πολέμου καὶ μεγάλην καὶ εὐπρεπῆ λήψεσθαι ἤλπισεν· ὅπερ ἐγένετο (lib. XXXVIII, 34), et paucis versibus ante: πρὸς δὲ δὴ τὴν ἐκ τοῦ πολέμου δόξαν, καὶ τὴν ἀπ' αὐτῶν ἰσχὸν, οὐδὲν τούτων ἐφρόντισε (ὁ Καῖσαρ)· πλὴν καθ' ὅσον παρὰ τοῦ βαρβάρου πρόφασιν τῆς διαφορᾶς, μὴ καὶ προηπάροχεν τι ἐς αὐτὸν νομισθῆναι λαβεῖν ἡθέλησε.

Usipetes et Tenchtheri a Suevis agris expulsi Rhenum transierunt et a nonnullis Galliae civitatibus invitati in fines Eburonum et Condrusorum pervenerunt. Caesar his de rebus certior factus neque quam aegre Galli Romanorum imperium ferrent ignorans bellum cum Romanis gerere constituit. A quibus quum paucorum dierum iter abesset, legati ab his venerunt, dicentes, Germanos non belli populo Romano inferendi causa adesse, sed rogare, ut vel sibi agros attribuerent vel paterentur eos tenere, quos armis possedissent; quod si impetrassent, posse eis utiles esse amicos. Ad haec Caesar respondit: Sibi nullam cum his amicitiam esse posse, si in Gallia manerent. Sed licere, si velint, in Ubiorum finibus considerare; hoc se ab iis impetraturum. Tum legati trium dierum inducias petierunt. Ne id quidem Caesar ab se impetrari posse dixit: cognoverat enim magnam partem equitatus ab iis aliquot diebus ante praedandi frumentandique causa trans Mosam missam. Hos expectari equites atque ejus rei causa moram interponi arbitrabatur. Caesar quum paucarum horarum iter ab hostibus abesset, ad eum legati revertuntur, qui in itinere magnopere, ne longius progrediretur, orabant. Quum id non impetrassent, petebant, uti ad eos equites, qui agmen antecessissent, praemitteret eosque pugna prohiberet sibi potestatem faceret, in Ubios legatos mittendi, quorum si principes sibi jurejurando fidem fecissent, ea conditione, quae a Caesare ferretur, se usuarios ostendebant: ad has res conficiendas sibi tridui spatium daret. Caesar in eo, quod negaverat, manebat: tamen sese non longius millibus passuum quatuor processurum eo die dixit: huc postero die convenirent. Interim equitibus praemissis, ne hostem proelio lacesserent, imperavit. At hostes, inquit, ubi primum nostros equites conspexerunt, quorum erat quinque millium numerus, quum ipsi non amplius octingentos equites haberent, quod ii, qui frumentandi causa ierant trans Mosam, nondum redierant, nihil timentibus nostris, quod is dies induciis erat ab hostibus petitus, impetu facto, celeriter nostros perturbaverunt atque in fugam conjecerunt. In eo proelio ex equitibus nostris interficiuntur quatuor et septuaginta. Tum Caesar neque jam sibi legatos audiendos neque condiciones ab hostibus perfidis accipiendas arbitratus postero die pugnae fortunam tentandam statuit. Hac re constituta opportunissime accidit, quod postridie ejus diei mane eadem et perfidia et simulatione usi Germani frequentes, omnibus principibus majoribusque natu adhibitis, ad eum in castra venerunt: simul, ut dicebatur, sui purgandi causa, quod contra atque esset dictum, proelium pridie commisissent; simul ut, si quid possent, de induciis fallendo impetrarent. Quos sibi Caesar oblatos gavisus, illos retineri jussit; ipse omnibus copiis castris eductis quum hostes imprudentes ducibusque destitutos oppressisset, tantam eorum stragem edidit, ut, quum hostium numerus capitum CDXXX millium fuisset, perpauca effugerent. (Caes. b. G. IV, 1 sqq.)

Ut taceam, Caesarem in hujus quoque belli causis exponendis paullo longiorem quam solet fuisse ac diligentiore, unde adversariorum de eadem re sententiam contrariam ei non ignotam fuisse jure colligas, duae in ejus enarratione res inveniuntur, in quibus auctor sibi ipse parum constare videatur. Dicit enim postridie ejus diei, quo Romani equites a Germanis bello erant petiti, mane eadem et perfidia et simulatione usos Germanos frequentes omnibus principibus majoribusque

natu adhibitis ad se in castra venisse, ut si quid possent, de induciis fallendo impetrarent. Hos quidem retineri jussit: nimirum quod omni se in eos, qui priores fidem fefellissent, religione solum arbitrabatur. At injuria Caesar Germanorum legatos perfidiae et simulationis incusare videtur. Nam ut Germanorum principes majoresque natu impetus in Romanos equites faciendi ne dicam auctores, sed conscii tantum fuerint, quis est qui credat, illos insidias parantes quinque Romanorum milibus non amplius octingentos equites fuisse opposituros? Quid? quod proelio facto Romanisque in fugam coniectis postridie vel omnes Germanorum principes majoresque natu ad Caesarem in castra venerunt, nonne hoc satis argumenti est, violati foederis crimen non ad eos, qui legationem susceperant, sed ad illos, qui castris se tenebant, pertinere? Annon summae dementiae erat irato hosti se offerre, nisi legati omni culpa vacare sibi visi essent? Accedit quod Dio Cassius 39, 48. Germanorum natu majores improbato juniorum facto contra eorum voluntatem ad Caesarem deprecandi causa venisse et culpam in eos contulisse tradit ⁷⁾. Cujus verba licet per se ipsa non ita comparata sint, ut de Caesaris fide recte movere possint dubitationem, tamen collata cum Catonis sententia, qui ^{7b)} et Romae in senatu, quum Caesari supplicatio decerneretur, ob perfidiam dedendum eum barbaris eoque piaculo rempublicam poena liberandam censuit, haud scio an magni momenti sint ad fidem Caesari derogandam. Nam etsi Cato, homo veteris moris ac reipublicae amantissimus idemque a Caesare alienissimus, sententiam suam de eo latam (teste Plutarcho compar. Nic. et Crass. 4 et Cato min. 51) nemini probavit, pravos ea re potius aetatis illius mores, quae in rebus gerendis nulla honesti ratione habita unam spectaret utilitatem, quam justam Caesaris causam agnoscimus ⁸⁾: ut Caesar juris legatorum, quod ipse a barbaris diligentissime voluit servari ⁹⁾, violati nullam aliam mihi videatur causam habuisse, quam quod Romanis aeterna erat adversus hostem auctoritas. ¹⁰⁾

Germanico bello confecto multis de causis Caesar sibi Rhenum transcundum statuit: quarum illa, inquit, fuit justissima, quod quum videret Germanos tam facile impelli, ut in Galliam venirent, suis quoque rebus eos timere voluit, quum intelligerent et posse et audere populi Romani exercitum Rhenum transire. Accessit etiam quod pars equitatus Usipetum et Tenchtherorum post fugam suorum se trans Rhenum in fines Sigambrorum receperat seque cum iis conjunxerat. Ad quos quum Caesar nuntios misisset, qui postulerent eos, qui sibi Galliaeque bellum intulissent, sibi dederent, responderunt: populi Romani imperium Rhenuum finire. (Caes. b. G. IV, 16). —

7) καὶ αὐτῶν οἱ πρεσβύτεροι καταγρόντες, πρὸς τε τὸν Καίσαρα καὶ παρὰ τὴν γνώμην σφῶν ἤλθον, καὶ ἐδέοντο αὐτοῦ συγγνώμην σφίσι, τὴν αἰτίαν ἐς ὀλίγους τρέποντες. 7b) cf. Appian. Gall. c. 18 et Plutarch. Caes. 22.

8) Κάτων (τὴν σύγκλητον) οὕτως ἐπέστρεψε καὶ παρώξυνεν, ὡς τοὺς φίλους τοῦ Καίσαρος μεταροῦν, ὅτι τὴν ἐπιστολὴν ἀιαγρόντες ἐν τῇ βουλῇ καιρὸν τῷ Κάτῳ λόγων δικαίων καὶ κατηγοριῶν ἀληθῶν παρίσταν. Plut. Cat. min. l. c. — 9) Caes. b. G. III, 16. — 10) Cic. de off. I, 12.

Quod vidisse sese Caesar dicit, Germanos tam facile impelli, ut in Galliam venirent, id vel memoria lapsus vel consulto perperam edidisse videtur. Legati enim Germanorum se venisse invitos dixerant, ejectos domo. (IV, 7). Quorum verbis si quis putet a Caesare non fidem fuisse habitam, hic tamen ipse Germanos agris a Suevis expulsos esse narrat (IV, 4). Porro Ariovistum ad Caesaris postulata respondisse legimus: Transisse Rhenum sese non sua sponte, sed rogatum et arcessitum a Gallis: non sine magna spe magnisque praemiis domum propinquosque reliquisse (I, 44): quibus non repugnant, quae Divitiacus Aeduus pro Gallorum legatis locutus est: Aedui et Arverni quum de potentatu inter se multos annos contenderent, factum esse, ut ab Arvernis Sequanisque Germani mercede arcesserentur.

De ea Germanorum parte, quae in fines Sigambrorum se receperat, Dio Cass. 39, 48 tradit, Caesarem Sigambriis ut captivos sibi dederent imperasse, non quo dicto suo eos audientes fore putaret, sed ut causam, cur Rhenum transiret, nancisceretur. Ipsum enim, ut gereret ea, quae nondum quisquam antea gessisset, summo opere egisse: eundemque sperasse fore ut Germani suo adventu a Gallia prohiberentur. Haec Dionis sententia Plutarchi quoque testimonio (vit. Caes. 22) confirmatur dicentis: *Καὶ ταύτην λαβὼν αἰτίαν (ὅτι ὀλίγους τοὺς ἀποπεράσαντας αὐθις ὑπεδέξαντο Σούγαμβροι) ἐπ' αὐτοὺς ὁ Καῖσαρ, ἄλλως δὲ δόξης ἐφιέμενος καὶ τοῦ πρώτου ἀνθρώπων στρατῷ διαβῆναι τὸν Ῥῆνον ἐγγύρου κ. τ. λ.*



[The text on this page is extremely faint and illegible. It appears to be a dense block of text, possibly a list or a detailed account, but the characters are too light to transcribe accurately.]